29)

S. P. Mir fato cum rectà Lugdunum cogitarem, Vir Nobiliss. et amplissime primum in patria mihi obiecta fuit ob secundas, quas parens meus meditabatur, nuptias, et alia per diverticulum iter id perficiendum institui. Nam cum Vinariae mihi significaretur illustriss. Principes meos Onolsbacum concessuros ut interessent solemnibus nuptialibus illustriss. principis Anhaltini, a re generosissimorum Dnorum Comitum ab Hardeg futurum putavi eo usque à recto tramite declinare, perque intercessionem Aulicorum quorundam Saxonicorum et consequenter ipsorum illustrissimorum Principum meorum, monitorias ab illustriss.o Brandeburgico Onolsbacensi impetrare ad generosiss. Dn. Comitem Mansfeldensem nomine sex millium iam ante annum et sesqui ipsi concreditorum, uti impenderentur in Lytron Dnorum Comitum captivorum. Onolsbaci praeter omnem spem inaudire coepi ipsos Dnos Comites fuga elapsos et Noribergam delatos. Mox igitur eodem perrexi et ambos sed natu minorem ex gravissimo morbo, et ipsi Medicorum collegio pro desperato habito, languidum offendi. Perfudi utrumque laetitia non tralaticia, cum referrem de benevolo et gratioso illustrissimi Principis vestri in ipsos animo fidemque relationi meae adstringerem redditione literarum mihi commissarum. Testabantur ipsi in suis et gaudium hoc ~~et~~ inopinum et animi gratitudinem. Itaque ambo me rogarunt, quandoquidem et soli sint et vero alter recens ab insolenti hoc et truci morbo, comitem me ipsis adiungere Buckeburgum usque ne gravarer. Id quod ipsis promisi eo libentius quo magis hoc ipsis necessarium ipsis et ex usu fore cognovi: quippe enim singulis fere diaetis transituri sumus loca in quibus familiares et cognati mei degunt ut, siquid sequius accidat natu minori nondum probe restituto, non sint defuturi qui solitarii ipsius curam gesturi sint. Mirum dictu est nec reditu facile, quam semirudi nec à subsidiis necessariis instructi asperrima hac hyeme per devia loca nocturnis diurnisque ~~itineribus~~ cursibus longo itinere hoc

1618

huc tandem incolumes penetrarint. Nos vero atque è minus
post tantum frigoris famis sitisque patientiam valetudine
imò vitam alterius tantoperè periclitatam. Nunc tamen
divinâ gratiâ manifestè adiutus paullatim vires recolligit,
ut eis paucos dies in iter coniecturos nos speren. Interim
si hoc affectare licet, per te, Vir Nobiliss. et Nobiliss.^mi
et amplis.^s Dni collegae illustrissimo Heroi vestro constet
de humillimis meis servitijs ipsi devotis, et vobis omnibus
de debita animi mei observantia. Proposueram quidem
mihi ad Nobiliss. Dn. à Brincken his adijcere alteras: sed
tempore exclusus, tum turbis mirificis impeditus non potui.
Turbae illae natae sunt ex furto quo mihi hesterna vespera
130. fl. generosiss.^mi Dni Comitibus 40 fl. ab audacissimo
nebulone subtracti et, cum elapsus esset fuga ex aedibus
per 4 horas detenti, hora tandem vespertina XI. fure
ex latibulo suo protracto, restituti fuerunt. Sub quod idem
tempus incendio conflagrabat domus, alia paullo ante
eluvie et inundatione Pegnesi abripiebatur. B. V.
Vir Nobiliss. et festinatae liturisque turpatae scriptioni
ignosce. Dab. Norinbergae 30 Jan. 1618.

Tuus, Vir Nobiliss.^e,
dum vixero

Iustus Zinzerling.

Nob. et Amplis.mo Viro
Dn.o Melchiori Goldasto
ab Haiminsfeld Consilia-
rio Schaumburgico Dn.o
et amico magno.